

1495 tinus, qui Neapolitano in regno tunc erat, cum ducen-
tis: equitesque ab Epiro Acarnaniaque ad littus Venetum
advekti circiter mille. Exercitu deinde lustrato, milites
equitesque in fines Brixianorum jussi procedere: creatique
legati Malchio Trivisanus, Lucas Pisanus, ad exercitum
profecti sunt. Senatus etiam scriba Bononiam missus, qui
Joannem Bentivolum in officio contineret. Itaque cum rex
paulo post ad eum misisset, petens ut itineris per ejus fi-
nes oppidumque faciendi facultas sibi fieret, impetrare ni-
hil potuit. Auri præterea quingentæ libræ Ludovico peten-
ti mutuo a Senatu datæ, deinde etiam trecentæ. Post hæc
Senatusconsultum factum est, uti militum in Gallia &
Venetia quina millia imperarentur, ex Helvetiorum pa-
gis bina millia accerferentur: qui autem jam tum pedites
equitesque convenissent, ii omnes in Parmensem agrum
mitterentur. Neque multo post alio Senatusconsulto Fran-
ciscus imperator dictus est, eique res militaris permessa.
Præfectus etiam Græcis equitibus Bernardus Contarenus
datus: tum vexillum imperatorium publice Francisco mis-
sum: qui, facto ad Ollium flumem ponte, exercitum tra-
duxit, & firmato munitionibus ponte ab ea ripa quæ in
Cremonensi agro est, alterum pontem in Pado flumine na-
vibus imposuit, atque ex utraque ripa fossa & vallo agge-
reque præalto muniit. tum exercitus in Parmensem est
agrum traductus. Ejus rei literis acceptis, imperator a Se-
natu jussus est, si Galli, dum redeunt, ei molestiam exhi-
beant, ipse autem sine reipublicæ incommodo posse id fie-
ri videat, in eos impetum faciat: sin res in angusto sit,
prælio abstineat, suoque se loco atque milites contineat.
quod si pacati iter faciant, nihil eis noceat, sed sinat in-
tactos discedere. Eo accepto nuncio imperator, ad Tari
fluminis pontem ducto exercitu, qui pons abest a Parma
oppido passuum millia quatuor, castra posuit: cumque eo
Ludovici equites bis mille, milites totidem, Joanne Fran-
cisco Severinate duce convenissent, exercitum traduxit,
atque ad Oppianicum vicum, qua Gallis erat iter fa-
ciendum, in ipsa Tari fluminis ripa, quod pedibus trans-
mitti

*Franciscus
Gonzaga
federato-
rum prin-
cipum im-
perator.*